



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 60. De sedata Maris tempestate. Myst. punct. 1.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

## MEDITATIO. LX.

*De sedatâ maris tempestate. Matt. 8.*

Myft. punct. I.

CONG. Ut solet.

PRÆL. I. Quomodo, dormiente Domino coorta fit in mari vehemens tempeſtas.

PRÆL. II. Aspiceremare, & navim in eâ fluitantem.

PRÆL. III. Petere gratiam Christo adhærendi in adverſis omnibus.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Christum cum Discipulis in mari navigantem.

INTEL. Perpendamus qualis fuerit vita Christi, præſertim poſtquam munus prædicandi inchoavit, verſabatur modò in agris; modò in terrâ; modò in aquâ, &c. Prout Patris gloria, & animarum ſalus exigebat. REFL. Hæc eſt Regula ſumm. 3. de vitâ agendâ in quavis mundi plagâ.

VOL. Offeramus nos indifferentes ad quamvis plagam mundi, prout ad Dei gloriam, & animarum ſalutem Deus per Superiores ordinabit.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Et ascendente eo in Naviculam, ſecuti ſunt eum Discipuli ejus.* Matth. 8.

INTEL. Sive Christus verbo diceret: *venite poſt me.* Matth. 4. *vel, ſequere me.* Matth. 9. Sive reiſa,

N 3

aut



aut nutu aliquo idem indicaret: promptè sequebantur Discipuli ejus. REFL. Videamus an nos juxtà regulas tam promptè obediamus, etiam *licet nihil aliud, quàm signum voluntatis superioris, sine ullo expresso præcepto, videretur.* Reg. summ. 33.

VOL. Statuamus Christo per superiores etiam solo nutu, nos vocanti obtemperare, eumque sequi: memores contemplationis Regni Christi, ubi petivimus gratiam, *ne obsurdescamus vocante nos Christo.*

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut Navicula operiretur fluctibus: ipse verò dormiebat, Matth. 8.*

INTEL. Hinc docemur, eos, qui Christum sequuntur, agitandos adversis, & tempestatibus, ut videantur interdum obrui, idque ipso præsentè, & quasi dormiente ac permittente. REFL. Hisce conforme est, quod habetur Reg. 7. hebd. 1. *discer. spir.* quod in desolatione possimus insultibus inimici nostri obsistere: *id quod possumus haud dubiè, assistente nobis jugiter præsidio divino; licet tunc nequaquam sentiatur.*

VOL. Cum magnâ fiduciâ dicamus Christo: *Eno! Rex supreme, &c.* meum est hoc certissimum decretum, ut... quàm possim proximè te sequar & imiter, *in ferendis injuriis, & adversis omnibus, & tempestatibus.*

COLLOQ. Conveniens contemplationi Regni Christi. RECOLLECTIO,